

AD VIRUM.  
NOBILISSIMUM, AMPLISSIMUM,  
ATQUE, FCTISSIMUM.  
**D. JO. BURCHARDUM.**  
**MENCKENIUM.**

HISTORiarUM. P. P. ET. ACADEMIÆ.  
LIPSIENSIS. h. t.

RECTOREM.  
BEATI. PARENTIS. SUI.

VIRI.  
SUMME. REVERENDI. ATQUE. EXCELLENTISSIMI.  
DOMINI.

**OTTONIS. MENCKENII.**  
S. S. THEOL. LICENTIATI.

MORALIUM. PROFESSORIS. PUBLICI. CELEBER-  
RI. DECENVIRI. COLL. MAJ. PRINCIPUM.  
COLLEGIATI.

MEMORIAM.  
DIE. EJUS. EMORTUALI. IV. KAL. FEBR. A. c15 1500 VIII.

SOLEMNI. ORATIONE. RECOLENTEM.  
**ACTA. ERUDITORUM.**

INTERPRETE.  
M. LUDOVICO. CHRISTIANO. CRELLIO.

BIBLIOTHECA  
PONICKAVIANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK  
HALLE (SAALE)



CHARACTER. B. MENCKENII. E. PLINIO.  
EPIST. LIB. I. EPIST. XXII.

ARISTONEM.

SINGULARITER. ET. MIROR. ET. DILIGO.  
NIHIL. EST. ILLO. GRATIUS.  
SANCTIUS. DOCTIUSQUE  
UT. MIHI. NON. UNUS. HOMO.  
SED. LITERÆ. IPSE. OMNESQUE. BONÆ. ARTES.  
IN. UNO. HOMINE. SUMMUM. PERICULUM. ADIRE. VIDEANTUR;  
QUAM. PERITUS. ILLE. JURIS. PUBLICI?  
QUANTUM. RERUM.  
QUANTUM. ANTIQUITATIS. TENET?  
NIHIL. EST. QUOD. DISCERE. VELIS.  
QUOD. ILLE. DOCERE. NON. POSSIT.  
MIHI. CERTE.  
QUOTIES. ALIQUID. ABDITUM. QUÆRO.  
ILLE. THESAURUS. EST.  
QUANTA. SERMONIBUS. EJUS. FIDES?  
QUANTA. AUCTORITAS?  
QUAM. PRESSA. ET. DECORA. CUNCTATIO?  
QUID. EST. QUOD. NON. STATIM. SCIAT?  
ET. TAMEN. PLERUMQUE. HÆSITAT:  
DUBITAT. DIVERSITATÈ. RATIONUM;  
QUAS.  
ACRI. MAGNOQUE. JUDICIO.  
AB. ORIGINE. CAUSISQUE. PRIMIS.  
REPETIT.  
DISCERNIT. EXPENDIT.  
ORNAT. HÆC. MAGNITUDO. ANIMI  
QUÆ. NIHIL. AD. OSTENTATIONEM.  
OMNIA. AD. CONSCIENTIAM. REFERT:  
RECTEQUE. FACTI.  
NON. EX. POPULI. SERMONE. MERCEDEM.  
SED. EX. FACTO. PETIT.  
IN. SUMMA.  
NON. FACILE. QUIS. QUENQUAM. EX. ISTIS.  
QUI. SAPIENTIÆ. STUDIUM. HABITUM. CORPORIS. PRÆ. SE. FERUNT.  
HUIC. VIRO. COMPARARIT.



104<sup>3</sup>

*Risitia nunc igitur redeunt solemnna nobis:  
Munera MENCKENIO persoluenda PATRI.  
Manibus ergo piis Natus cum laude Parentis  
Inferias cineri fert, sua vota, sacro.  
Scilicet hoc pietas, hoc pacta fidesque volebant:  
Illi & solempi voce parentet amor.*

*Facta & fama Viri nunquam moritura beati  
Poscebant meritis hac monumenta suis.  
Tam doctæ seriem doctis pertexere vita  
Verbis, historia nobile pangere opus.  
Hoc opus, hoc Tuus est labor, o pie NATE PARENTIS  
MENCKENI; in hoc præstat Te tua Musa pius.  
Esse TUI memorem merito Tibi maxima cura est  
Arteque, qua polles; condecorare PATREM.  
Condecorare PATREM, quem semper vivere docti  
Optant, Musa virum quem vetat ipsa mori:  
ACTA vetantque mori DOCTORUM, & scripta virorum;  
Qua cura illius servat ab interitu.  
En Tua supremum dum PATRI solvit honorem,  
Et caris pietas fert sua thura rogis,  
In partes venimus Tibi DOCTORUM ACTA PARENTIS  
Ad tumulum, in lacrimas ipsa soluta pius.  
Ipsa Tuo meritis obnoxia facta PARENTI:  
MENCKENII doctæ dexteritatis opus.  
Illius auspiciis DOCTORUM vivimus ACTA,  
Gloria nostra alias vincit Ephemerides.  
Fama perennis erit, quamvis rumpantur iniqui,  
Non deerit nobis posteritatis amor.  
Quam multi nobis DOCTORUM vitam & honores  
Debent, quot per nos aurea scripta vigent!  
Qua pars doctrina non hic exculta? quis Auctor;  
Cui non ex ACTIS fama decusque fluat?  
Gallia testis erit, testisque Britannia docta,  
Hoquius ipse illi, Roquius huicque fuit.  
Testis & Italia est claris scriptoribus alma;  
Queque favet doctis terra Batava viris.  
Germanique sui testes, doctique Poloni,  
Quatenus & libros barbara terra legit.  
Seu nos Hesperii, seu quis nos querat Eois  
Terris, nos & Eos norit & Hesperia.  
Non hic natura tantum mysteria discas,  
Lector, quasque artes culta Mathesis habet.*

Quae Tibi cunq̄ue placent DOCTORUM Te ACTA docebunt,  
 Ingens doctrinae campus ubique patet.  
 Seu te religio delectat divinae verba,  
 Sunt hic, quae referant dogmata sancta Dei.  
 Seu monumenta placent, artes quae Juris & aequi  
 Traduntur, sunt hic quae probet ipsa Themis.  
 Seu tibi Apollinea sunt cordi & Paeoniae artes,  
 Nostra Masbaonias fert tibi pagina opes.  
 Invenit hic aliquid Medicorum gloria Cou:  
 Multa hic cum Celso docta Galenus habet.  
 Invenit hic Sopsie quamplurima: multa Poeta:  
 Gracia quos, & quos terra Latina tulit.  
 Praecipue hic artesque bonae, linguaeque foventur,  
 Humana unde suum vita habet usque decus.  
 Divitia ingenii hic regnant, & Pallados artes,  
 Et nova doctorum docta reperta virum.  
 Quicquid Graeca notat, quicquid Romana vetustas,  
 Et quae cuncta modo gens sibi docta parat,  
 Ejus victuris congesserat omnia chartis,  
 ACTIS DOCTORUM tradideratque labor.  
 Istiti innumeras studuit comprehendere gazas,  
 Aeternum poterant quae sibi ferre decus.  
 O si doctorum tam docto praeside cœtus  
 Illius auspiciis continuasset opus!  
 Sed nunc ille jacet fato properante peremptus:  
 O fato dignus candidiore frui.  
 Sic moriens, quae magnus Grotius olim,  
 Indole quem retulit, verba levamen habet.\*  
 O Decus, o toto memorabile omen in ævo,  
 Dum curæ doctis sunt monumenta viris!  
 Eximiis quondam Servator nate libellis,  
 Doctorum accumbens gloria prima choro,  
 Salve Pieridum tutamen & inclute Princeps,  
 Aeternum nobis, o Pater alme, vale!  
 Quae doctis olim praestabat Cæsius Anglis,  
 Bailletus Gallis, Grævius & Batavis,  
 Nazariusque Italis, Cimbris Morhofius, illa,  
 Omnia Tu nobis, MENCENI, & unus eras.  
 O utinam nobis, docto optatissimus orbi,  
 Vivere adhuc posses; gloria summa fores.

Quan-

\* Grotius teste Quistorpio apud Freherum Rostochii in itinere moriens moribundum se identidem his verbis erigebat: 'Ο Θεος ἰδὲν ἔστι μοι τῶ ἀμαρτωλῶ, quae verba B. MENCENIO continuo in ore erant,

Quantum consiliis Musas operaque iurares!  
 Gauderet studiis quam Philyrea Tuis!  
 Sed cadis, ac tristi conturbas omnia planctu.  
 Qui pretium nobis ingeniumque dabas.  
 Ecce Tuo docti terrentur ut undique fato,  
 Et pavida feriunt pectora fida manu.  
 Lipsia Te, Natusque Tuus, Te Nata peremim,  
 Cum Genero Musa Phœbus & ipse dolent.  
 Quid juvat ingenuas animum excoluisse per artes,  
 Quid juvat in Clario nomen habere Choro!  
 Quid Tibi laus docti prodest Polyhistoris aequa,  
 DOCTORUM libros quid retulisse juvat?  
 I nunc Scripta para, DOCTORUMque ACTA recense:  
 Mors etiam doctos obruit atra Viros.  
 Protinus ex aquo fatalia fila Sorores  
 Abrumpunt: doctus, ceu rudis, ipse perit.  
 Nos miseros; O cur non vita Tibi longior usus  
 Obligit? O Pyllos vovere digne messes?  
 Sperata pereunt quot in uno funere messes?  
 Te clades nimis hec, natio docta, premit!  
 Nempe jaces doctis Mæcenæ artibus. Eben  
 Viroa ingens Tecum bibliotheca perit!  
 Non ita Alexandri doluisse urbs clara putanda est,  
 Perdedit ut libris scrinia plena bonis.  
 Suntibus immensis huic parta volumina quanguam,  
 Quadragesena ignis millia, triste! vorat.  
 Non monumenta magis scriptorum docta gemebat  
 Flammiis rapta sibi Pergamus atque Cnidus.  
 Threiceis jaculis sævisque objecta Sarissis  
 Libros Buda suos haud ita flere potest.  
 Non Heidelberge majora Ablatus aufert,  
 Allarius, Roma, & dat spolia ampla tibi.  
 Quam multa in TE uno, Musis spes maxima Nostris  
 MENCKI perdidimus, jam querimurque, boni.  
 Non levibus, misera heu! iacturis carpimur, uno  
 Uno in Te nobis cuncta decora ruunt.  
 Hinc solvit merito tristes Elegeia capillos,  
 Teque decus nostrum jam sine fine dolet.  
 Inde tument fauces singultibus: ora immersa,  
 Sunt lacrumis, & suspiria multa ferunt.  
 Sed quid flere juvat? lacrymæ & prodesse querela  
 Quid poterunt? Fatum nenia nulla movet.

Er-



Ergo quid hæc nobis ingrata revolvimus alto  
 Damna animo, his crescit congeriturque dolor.  
 Sic erat in fatis: Illum quoque perdere, DOCTIS  
 Illorumque ACTIS qui fuit una salus.  
 Sed quis perdere eum nos dicat, qui modo cœlis  
 Succedens voluit vivere rite DEO.  
 Molliter ossa cubant: animus lætatur in altis,  
 Doctrina humane porro nec ACTA refert.  
 Eternum Divis junctus miratur & ACTA  
 Hic summi divo concinit ore DEI.  
 Isthic CELLARI SECKENDORFFIque Statores  
 ACTORUM occurrunt, umbraque CARPZOVII,  
 O quales quantique viri! quorum omnia secla  
 Pro meritis ingens nomen ad astra vehebent.  
 Nomen ad astra vehebent divinum MENCKENIIque:  
 Permanet hic doctæ gentis & urbis amor.  
 Ingenioque suo clarum per secula cana  
 DOCTORUM vivet nomen in ore virum.  
 Fama viri superat: terraque legentur in omni  
 ACTA, vel a sero digna nepote legi.  
 Illi hinc partus bonos: hinc gloria plurima venit:  
 Illi hinc fama memor per sua regna volat.  
 Vivet in his ACTIS vita dignissimus ista,  
 Et quasi de tumulo proferet ora PARENS.  
 Grates Musa ferat: Musa & solatia præstet,  
 MENCKENI, & ista Tui sit medicina mali!  
 Tu modo sume animos hac dignos laude PARENTIS,  
 Et solve in cineres ora diserta PATRIS.  
 Purpura purpureos ILLI TUA præstet honores,  
 Eloquenti vires; quas potes, ergo para!  
 Oreque, quo nuper felicia pacta Britannum,  
 Dixisti, & laudes, \* ANNA Britannia, Tuas.  
 Quo LEOPOLDINA \*\* edebas studio, atque Poetis;  
 Atque aliis doctis fata \*\*\* sinistra viris:  
 Hoc ipso patrias duc a sua sidera laudes,  
 Sicque pii nati dulce merere decus.  
 Quanta TIBI lingue est facundia, confer in illum,  
 Ut doceas per TE vivere posse PATREM.

Pro-

\* In Oratione Panegyrica die XXV Julii A. 1708 habita de unione Angliæ & Scotiæ.

\*\* In Vita Leopoldi impr. Lipsiæ 1707 in 8.

\*\*\* Editis A. 1707, cum Petri Alcyonii duobus libris de Exilio, Jo. Pierio Valeriano Cornelioque Tollo de infelicitate Eruditorum & Josepho Barberio de miseria Poetarum Græcorum.

Promove animos alto nunc pectore: pandite vires  
 Pierides: magni porrigite oris opes!  
 Commemorate viri dotes, insigniaque ACTA:  
 Illius per vos floreat ingenium,  
 Illius nunquam tenuent oblivio famam,  
 Sed virum vigeat tempus in omne decus!  
 At erit, hoc miserum, qui nunc fataleque fatum  
 MENCCKENII nobis tempus adesse, putet.  
 En solidique jacet, dicat, labor improbus ævi;  
 Nam quis Apellæum continuabit opus?  
 Deque ACTIS actum est DOCTORUM: illudque reverendum  
 Heu quondam corpus triste cadaver erit!  
 Omine, quisquis es, at multum Tibi falleris isto:  
 MENCCKENII Natus namque superstes adest.  
 Ille superstes adest ACTORUM Adsertor & Autor;  
 Funere deque PATRIS nos rapit ille sui.  
 Eternumque vigere jubet Spes altera nobis,  
 Firmamen doctæ, qua decet, arte rei.  
 Continuabit eum PATRIS post fata laborem  
 Filius, haud magno mente PARENTE minor.  
 O decus, O nostrum columen, doctæque caterva,  
 Emporii RECTOR, nunc Philyrea, Tui.  
 Huc ades & serva Nos, Te nunc vindice nobis  
 Est opus. O, quod agis, nunc tueare PATREM!  
 TU modo, TU vigeas, Per TE Sic ACTA vigemus;  
 TU te PARENS nobis alter & Auctor eris.  
 Eja, age DOCTORUM doctas Tibi porro Virorum  
 Junge operas, nobis hinc decus omne venit.  
 Schmidius hic adsit Noster Tibi, Smidius Abbas  
 Helmstadio, quod vult, Te Knochiusque juvent!  
 Adsint Ittigius, Cyprianus nomine & ore,  
 Prisco, Olearides grande recensque decus.  
 Löscherum Viteberga soror Tibi candida servet,  
 Jenâ Buddeus præstet amicus opem.  
 Pfauziades nostræ mirandus Lipsidos Atlas,  
 Omnia, qua torquet, sidera, mente juvet.  
 VVichmanshausiades gazas ferat huc Solymorum,  
 VVolsus atque Halâ sedulitatis opes.  
 DOCTORUM ante omnes faveat Leibnizius ACTIS,  
 Utque olim Pritius, Fabritiusque Tuius.  
 Gözius & Titius Juris monumenta reponant,  
 VVachtlerus solita dexteritate juvet!

1050

Z 6133 M

x3420762

V  
D  
18

Abdita natura Pauli secreta revelet,  
 Ettmüllerus opes optima Hygea Tuas.  
 Pectora plena Deo referat Pippingius ore,  
 Schüzius & Pylada junctus amore Tibi.  
 Struvius historia doctorum conditor adsit,  
 Bœrnerusque parans maxima quaque juvet.  
 Palladia monumenta rei que serior etas  
 Eruit, huc referant, quos labor ille juvat.  
 Docta frequensque Tibi horum turba sit, optime, & ACTIS  
 Vitam perpetuam conciliare velint.  
 Tu modo MËNCKI AD A viros, dent Fata salutem,  
 Dent Tibi, dent nobis, dent patriæque Tuæ,  
 Vire Tibi, doctas inter, Tua Numina, Musas;  
 Vire inter libros Pieridasque Tuas.  
 Vire etiam nobis, serua DOCTORIBUS ACTA  
 DOCTORUM; hinc famam fer super astra Tuam.  
 Est Tibi & ingenium, sunt & Tua gaudia, amici  
 Docti, thesaurus, Bibliotheca Tibi est.  
 Utere temporibus, quorum es nunc munere fretus,  
 Ecce patent laudi magna Theatra Tua.  
 Utque Tuo docti suspendunt signa tabellas  
 Doctas, victuro grata Tropea PATRI;  
 Sic Tua Te doctum non tantum secula norint,  
 Usque eris in docta Nobilis Historia.



MC



AD. VIRUM.  
NOBILISSIMUM. AMPLISSIMUM.  
ATQUE. FCTISSIMUM.

URCHARDUM.  
NCKENIUM.

UM. P. P. ET. ACADEMIÆ.  
LIPSIENSIS. h. t.

CTOREM.  
PARENTIS. SUI.

VIRI.  
ENDI. ATQUE. EXCELLENTISSIMI.  
DOMINI.

IS. MENCKENII.  
EOL. LICENTIATI.

OFESSORIS. PUBLICI. CELEBER.  
VIRI. COLL. MAJ. PRINCIPUM.  
COLLEGIATI.

EMORIAM.

RTUALL. IV. KAL. FEBR. A. cis 1s CC VIII.  
ORATIONE. RECOLENTEM.

ERUDITORUM.

INTERPRETE.  
ICO. CHRISTIANO. CRELLIO.

BIBLIOTHECA  
PONIUKAVIANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK  
HALLE  
(BAULE)

